



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1442. usque ad annum 1460

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118324

§. 39. Tartasiæ urbis obsidio ab Anglis soluta

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66507](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66507)

Sæcul. XV. costes Festa Lemovicum veniret, ipsum-
A.C.1442. que a Rege cunctis benevolentiae signis
 excipiendum. Ergo comitante conjuge
 sua Regem adit, a quo comiter ac bene-
 vole habitus, centum quadraginta mil-
 lium librarum subsidium ad residuam ly-
 tri sui Anglis pendendi partem accepit,
 auctus præterea annua sex millium libra-
 rum pensione. Dux Aurelianensis hac
 Regis munificentia devictus, seposita om-
 ni indignatione reversus est, ex quo Dux
 etiam Burgundiae, utpote Aurelianensi
 intimo foedere junctus, singulari lætitia
 afficiebatur. Rex igitur utroque hoc
 Principe in sui amicitiam redacto, cum a
 nemine alio periculum sibi immineret, se-
 cure iter suum ad Occidaniam profecu-
 tus est.

§. XXXIX.

*Tartasæ urbis obsidio ab Anglis
 soluta.*

Porro ad iter hoc arripiendum, Regem
 præprimis incitabat imminens peri-
 culum Urbis Tartasæ Albreti dominio
 subjectæ, quam Angli ultra septem men-
 ses dura obsidione premebant. Jamjam
 Gubernator extrema necessitate com-
 pulsus, nisi infra diem sancto Joanni sa-
 cram suppetiæ ferrentur, deditioem
 facere cum hoste convenerat, Carolo Al-
 breti

brei Filio in pacti fidem obside dato, Ast Sæcul. XV. A.C. 1442.
 ubi Rex, necdum evoluta induciarum ter-
 mino cum sex millibus equitum urbi
 appropinquabat, Angli confestim receptui
 canentes, Domini Albreti Filium redde-
 bant, & urbem Tartasiam Regi cede-
 bant. Eodem victoriæ cursu Connesta-
 bilis S. Severi oppidum, Delphinus A-
 quam Augustam occupant, Marmandiam Acqs. Mars mande la Reole.
 vero ad primum Regii exercitus conspe-
 ctum deditionem fecit, & REGULA
 urbs factò impetu expugnata est. Sube-
 gerant equidem Angli oppidum S. Seve-
 rini, sed Galli paulo post harum urbium
 primam recuperarunt. Tandem deficien-
 te commeatu, & equorum pabulo, exer-
 citum ad hyberna dimittere oportuit. Rex
 interea Montalbanum sese recipiebat, ubi
 cum Natalis Domini solemnia transigeret,
 quodam fidelissimorum Officialium orba-
 tus est. Hic erat Vignolius Hira, qui
 ibidem fatis ereptus est, toto exercitu Du-
 cis sui militari virtute longe præstantissi-
 mi jacturam dolente.

§. XL.

Deppa ab Anglis obsessa.

Cum Rex victricibus armis Anglos in Joa. Chart. hist. Car. VII.
 Vasconia debellaret, hi copiis suis,
 quæ in Normannia erant, illatas clades
 resarcire conantur. Talbotus enim An-
 glici,